
SCHÖNINGHS
LATEINISCHE KLASSIKER

Nr. 3a

CICERO
DE IMPERIO CN. POMPEI

TEXT

FERDINAND SCHÖNINGH / PADERBORN

<http://rcin.org.pl>

SCHÖNINGHS
LATEINISCHE KLASSIKER

Herausgegeben von
Dr. Stephan Heibges, Oberstudiendirektor, Paderborn

Nr. 3a

M. TULLIUS CICERO
DE IMPERIO CN. POMPEI
AD QUIRITES ORATIO

TEXT

Herausgegeben von
Dr. Willibald Schafnitzl
Studienrat

Albert Schafnitzl
L. 41 a.

INSTYTUT
BADAŃ LITERACKICH PAN
BIBLIOTEKA
00-390 Warszawa, ul. Nowy Świat 77
Tel. 26-68-63

DRUCK UND VERLAG
FERDINAND SCHÖNINGH - PADERBORN



23.392

Vorwort.

Während Ciceros frühere Reden ausschließlich aus seiner Anwaltstätigkeit hervorgingen, tritt er in der *Oratio de imperio Cn. Pompei* als Politiker auf. Veranlassung zu dieser seiner ersten Staatsrede, die er in seinem Amtsjahr als Prätor (66) hielt, war die Opposition des Q. Hortensius und Q. Catulus gegen den Antrag des Volkstribunen C. Manilius auf Verleihung des gesamten Oberbefehls an Pompejus. Die Gegner des Antrages befürchteten in der Verleihung einer so ungeheuren Macht — der Herrschaft über die Meere und Küste, der Verwaltung der Provinzen Bithynien und Cilicien, dann Recht, Frieden und Bündnisse zu schließen — an einen Mann, eine Gefahr für den Bestand der Republik. Cicero aber sucht in seiner Rede den Nachweis zu führen, daß bei der außerordentlichen Lage, in die der Staat durch die Mithridatischen Kriege versetzt war, außerordentliche Mittel anzuwenden seien.

Die Mithridatischen Kriege.

Mithridates VI., König von Pontus, hatte sein Reich über Kolchis und Kleinasien ausgedehnt und in der Krimgegend das bosporianische Reich gegründet. Als er dem bithynischen König Nikomedes III. und dem kappadokischen König Ariobarzanes ihre Länder zu entreißen suchte, schickte der Senat auf das Ansuchen der Bedrängten den Konsular Manius Aquillius gegen Mithridates nach Asien. So begann der

Erste Mithridatische Krieg 88—84.

Mithridates hatte seit 89 mehrmals die römischen Provinzialtruppen besiegt, Kleinasien besetzt (Blutbefehl von Ephesus) und war nach Makedonien und Griechenland hinübergewandert, überall als Befreier vom römischen Joch freudig aufgenommen. Gegen ihn zog Sulla von Epirus

aus (87), erstürmte Athen, schlug die pontischen Truppen bei Chäronea und Orchomenos in Böotien (86) und vertrieb ihn aus Griechenland; Mithridates mußte sich zum Frieden von Dardanos entschließen: er lieferte seine Flotte aus, gab alle Eroberungen in Asien wieder heraus und zahlte hohe Kriegsentschädigung (30 000 Talente).

Zweiter Mithridatischer Krieg 83—81.

Schon ein Jahr nach dem Frieden von Dardanos fiel der von Sulla zurückgelassene Proprätor L. Licinius Murena in das Reich des Mithridates ein, erlitt eine Niederlage und mußte auf Sullas Befehl den Krieg abbrechen.

Dritter Mithridatischer Krieg 74—64.

Als die Römer Bithynien, das ihnen König Nikomedes III. vererbt hatte († 75) einziehen wollten, machte ihnen Mithridates Schwierigkeiten, und zwar im Bunde mit den Seeräubern, die das ganze Mittelmeer beherrschten. Er besiegte den Konsul Cotta bei Chalcedon, doch wurde er von L. Licinius Lucullus mehrmals geschlagen (73 vor Kyzikus, 72 bei Cabira) und schließlich ganz aus seinem Lande vertrieben.

Als Tigranes von Armenien seinen Schwiegervater Mithridates zurückzuführen versuchte, drang Lukullus, nachdem er die inneren Angelegenheiten Asiens geordnet hatte, in Armenien ein (69), eroberte nach einem Siege über Tigranes dessen Hauptstadt Tigranocerta und machte bei der Einnahme reiche Beute. Als er dann über den Tigris in das Partherreich einfallen wollte, meuterten seine Soldaten und zwangen ihn zur Rückkehr nach Mesopotamien (68).

Unterdessen rückte Mithridates wieder in Pontus ein und gewann nach einem Siege über die geringen zurückgelassenen Streitkräfte sein Königreich zurück. In Pontus erhielt Lukullus 67 die Nachricht von der Übertragung des Oberbefehls an den Konsul M. Acilius Glabrio. Dieser fühlte sich seiner Aufgabe nicht gewachsen und verhielt sich untätig (67).

Daher stellte im Jahre 66 der Volkstribun C. Manilius den Antrag auf Übertragung des Oberbefehls an Pompejus.

Das Leben des Pompejus bis zum Jahre 66.

Cn. Pompeius (geb. 106) tat die ersten Kriegsdienste unter seinem Vater Cn. Pompejus Strabo im Bundesgenossenkriege 90—88.

Im Bürgerkriege 88—82 schloß er sich Sulla mit seinen selbstgeworbenen Soldaten an, besiegte 82—81 die Marianer in Sizilien und Afrika. Sulla gewährte ihm die Ehre des Triumphes.

Im Jahre 77 wurde er mit prokonsulischer Gewalt gegen Sertorius nach Spanien geschickt, besiegte unterwegs in Gallia Narbonensis mehrere Stämme und beendete den spanischen Aufstand, aber erst, als Sertorius durch Meuchelmord gefallen war (72).

Auf dem Rückwege vernichtete er die letzten Reste der aufständischen Sklaven (71), feierte in Rom seinen zweiten Triumph und wurde 70 mit Crassus Konsul.

Im Jahre 67 erhielt Pompejus auf Antrag des Tribünen Aulus Gabinius den unbeschränkten Oberbefehl im Mittelmeer und 10 Meilen landeinwärts auf drei Jahre (lex Gabinia). In drei Monaten säuberte er das Mittelmeer gründlich von den Seeräubern, die er zum Teil in verlassenen Gegenden Kleinasiens ansiedelte. Den Winter brachte er an der Südküste von Kleinasien zu und ordnete die dortigen Verhältnisse.

M. Tulli Ciceronis
de imperio Cn. Pompei ad Quirites oratio.

1 Quamquam mihi semper frequens conspectus vester
multo iucundissimus, hic autem locus ad agendum
amplissimus, ad dicendum ornatissimus est visus, Qui-
rites, tamen hoc aditu laudis, qui semper optimo cui-
5 que maxime patuit, non mea me voluntas adhuc, sed
vitae meae rationes ab ineunte aetate susceptae pro-
hibuerunt. nam cum antea per aetatem nondum huius
auctoritatem loci attingere auderem statueremque nihil
huc nisi perfectum ingenio, elaboratum industria afferri
10 oportere, omne meum tempus amicorum temporibus
transmittendum putavi. ita neque hic locus vacuus
umquam fuit ab iis, qui vestram causam defenderent,
et meus labor in privatorum periculis caste integreque
versatus ex vestro iudicio fructum est amplissimum
15 consecutus. nam cum propter dilationem comitorum
ter praetor primus centuriis cunctis renuntiatus sum,
facile intellexi, Quirites, et quid de me iudicaretis et
quid aliis praescriberetis. nunc cum et auctoritatis
in me tantum sit, quantum vos honoribus mandandis
20 esse voluistis, et ad agendum facultatis tantum, quan-
tum homini vigilanti ex forensi usu prope cotidiana
dicendi exercitatio potuit afferre, certe et, si quid auc-
toritatis in me est, apud eos utar, qui eam mihi de-
derunt, et, si quid in dicendo consequi possum, iis
25 ostendam potissimum, qui ei quoque rei fructum suo
iudicio tribuendum esse duxerunt. atque illud in

primis mihi laetandum iure esse video, quod in hac insolita mihi ex hoc loco ratione dicendi causa talis oblata est, in qua oratio deesse nemini possit. dicendum est enim de Cn. Pompei singulari eximiaque virtute; huius autem orationis difficilius est exitum quam principium invenire. ita mihi non tam copia quam modus in dicendo quaerendus est.

Atque ut inde oratio mea proficiscatur, unde haec omnis causa ducitur, bellum grave et periculosum vestris vectigalibus ac sociis a duobus potentissimis regibus infertur, Mithridate et Tigrae, quorum alter relictus, alter lacessitus occasionem sibi ad occupandam Asiam oblatam esse arbitratur. Equitibus Romanis, honestissimis viris, afferuntur ex Asia cotidie litterae, quorum magnae res aguntur in vestris vectigalibus exercendis occupatae; qui ad me pro necessitudine, quae mihi est cum illo ordine, causam rei publicae periculaque rerum suarum detulerunt: Bithyniae, quae nunc vestra provincia est, vicos exustos esse compluris; regnum Ariobarzanis, quod finitimum est vestris vectigalibus, totum esse in hostium potestate; L. Lucillum magnis rebus gestis ab eo bello discedere; huic qui successerit, non satis esse paratum ad tantum bellum administrandum; unum ab omnibus sociis et civibus ad id bellum imperatorem deposci atque expeti, eundem hunc unum ab hostibus metui, praeterea neminem.

Causa quae sit, videtis; nunc, quid agendum sit, considerate. primum mihi videtur de genere belli, deinde de magnitudine, tum de imperatore deligendo esse dicendum.

30

Genus est belli eius modi, quod maxime vestros animos excitare atque inflammare ad persequendi studium debeat. in quo agitur populi Romani gloria, quae

vobis a maioribus cum magna in omnibus rebus. tum summa in re militari tradita est; agitur salus sociorum atque amicorum, pro qua multa maiores vestri magna bella et gravia gesserunt: aguntur certissima populi Ro-
5 mani vectigalia et maxima, quibus amissis et pacis ornamenta et subsidia belli requiretis; agentur bona multorum civium, quibus est a vobis et ipsorum causa et rei publicae consulendum.

3 Et quoniam semper appetentes gloriae praeter ceteras
10 gentis atque avidi laudis fuistis, delenda est vobis illa macula Mithridatico bello superiore concepta, quae penitus iam insedit ac nimis inveteravit in populi Romani nomine, quod is, qui uno die tota in Asia tot in civitatibus uno nuntio atque una significatione civis Ro-
15 manos necandos trucidandosque denotavit, non modo adhuc poenam nullam suo dignam scelere suscepit, sed ab illo tempore annum iam tertium et vicesimum regnat, et ita regnat, ut se non Ponti neque Cappadociae latebris occultare velit, sed emergere ex patrio regno atque in
20 vestris vectigalibus, hoc est in Asiae luce, versari. etenim adhuc ita nostri cum illo rege contenderunt imperatores, ut ab illo insignia victoriae, non victoriam reportarent. Triumphavit L. Sulla, triumphavit L. Murena de Mithridate, duo fortissimi viri et summi imperatores, sed ita
25 triumpharunt, ut ille pulsus superatusque regnaret. verum tamen illis imperatoribus laus est tribuenda, quod egerunt, venia danda, quod reliquerunt, propterea quod ab eo bello Sullam in Italiam res publica, Murenam Sulla revocavit.

4 **30** Mithridates autem omne reliquum tempus non ad oblivionem veteris belli, sed ad comparisonem novi contulit; qui postea, cum maximas aedificasset ornassetque classes exercitusque permagnos, quibuscumque

ex gentibus potuisset, comparasset et se Bosphoranis, finitumis suis, bellum inferre simularet, usque in Hispaniam legatos ac litteras misit ad eos duces, quibuscum tum bellum gerebamus, ut, cum duobus in locis disiunctissimis maximeque diversis uno consilio a binis 5 hostium copiis bellum terra marique gereretur, vos ancipiti contentione districti de imperio dimicaretis. sed tamen alterius partis periculum, Sertorianae atque Hispaniensis, quae multo plus firmamenti ac roboris habebat, Cn. Pompei divino consilio ac singulari virtute depulsum 10 est; in altera parte ita res a L. Lucullo, summo viro, est administrata, ut initia illa rerum gestarum magna atque praeclara non felicitati eius, sed virtuti, haec autem extrema, quae nuper acciderunt, non culpa, sed fortunae tribuenda esse videantur. sed de Lucullo dicam alio 15 loco, et ita dicam, Quirites, ut neque vera laus ei detracta oratione mea neque falsa adficta esse videatur; de vestri imperii dignitate atque gloria, quoniam is est exorsus orationis meae, videte quem vobis animum suscipiendum putetis. 20

Maiores nostri saepe mercatoribus aut naviculariis 5 nostris iniuriosius tractatis bella gesserunt; vos tot milibus civium Romanorum uno nuntio atque uno tempore necatis quo tandem animo esse debetis? legati quod erant appellati superbius, Corinthum patres vestri, totius Graeciae lumen extinctum esse voluerunt: vos eum regem 25 inultum esse patiemini, qui legatum populi Romani consularem vinculis ac verberibus atque omni supplicio excruciatum necavit? illi libertatem imminutam civium Romanorum non tulerunt: vos ereptam vitam neglegetis? 30 ius legationis verbo violatum illi persecuti sunt: vos legatum omni supplicio interfectum relinquetis? videte, ne, ut illis pulcherrimum fuit tantam vobis imperii gloriam

tradere, sic vobis turpissimum sit id, quod accepistis, tueri et conservare non posse.

Quid? quod salus sociorum summum in periculum ac discrimen vocatur, quo tandem animo ferre debetis? regno est expulsus Ariobarzanes rex, socius populi Romani atque amicus; imminent duo reges toti Asiae non solum vobis inimicissimi, sed etiam vestris sociis atque amicis; civitates autem omnes cuncta Asia atque Graecia vestrum auxilium exspectare propter
 10 periculi magnitudinem coguntur; imperatorem a vobis certum deprecari, cum praesertim vos alium miseritis, neque audent neque id se facere sine summo periculo posse arbitrantur. vident et sentiunt hoc idem, quod vos, unum virum esse, in quo summa sint omnia, et
 15 eum propter esse, quo etiam carent aegrius; cuius adventu ipso atque nomine, tametsi ille ad maritimum bellum venerit, tamen impetus hostium repressos esse intellegunt ac retardatos, hi vos, quoniam libere loqui non licet, taciti rogant, ut se quoque sicut ceterarum
 20 provinciarum socios dignos existimetis, quorum salutem tali viro commendetis, atque hoc etiam magis, quod ceteros in provincias eius modi homines cum imperio mittimus, ut, etiamsi ab hoste defendant, tamen ipsorum adventus in urbis sociorum non multum ab hostili expug-
 25 natione differant, hunc audiebant antea, nunc praesentem vident tanta temperantia, tanta mansuetudine, tanta humanitate, ut ii beatissimi esse videantur, apud quos ille diutissime commoratur.

6 Quare, si propter socios nulla ipsi iniuria lacessiti
 30 maiores nostri cum Antiocho, cum Philippo, cum Aetolis, cum Poenis bella gesserunt, quanto vos studio convenit iniuriis provocatos sociorum salutem una cum imperii vestri dignitate defendere, praesertim cum de maximis

vestris vectigalibus agatur? nam ceterarum provinciarum
 vectigalia, Quirites, tanta sunt, ut iis ad ipsas provincias
 tutandas vix contenti esse possimus, Asia vero tam opima
 est ac fertilis, ut et ubertate agrorum et varietate fructuum
 et magnitudine pastionis et multitudine earum rerum, 5
 quae exportentur, facile omnibus terris antecellat. itaque
 haec vobis provincia, Quirites, si et belli utilitatem et
 pacis dignitatem retinere vultis, non modo a calamitate,
 sed etiam a metu calamitatis est defendenda. nam in
 ceteris rebus cum venit calamitas, tum detrimentum 10
 accipitur; at in vectigalibus non solum adventus mali,
 sed etiam metus ipse affert calamitatem. nam cum
 hostium copiae non longe absunt, etiamsi irruptio nulla
 facia est, tamen pecuaria relinquitur, agri cultura dese-
 ritur, mercatorum navigatio conquiescit. ita neque ex 15
 portu neque ex decumis neque ex scriptura vectigal
 conservari potest; quare saepe totius anni fructus uno
 rumore periculi atque uno belli terrore amittitur. quo
 tandem [igitur] animo esse existimatis aut eos, qui
 vectigalia nobis pensitant, aut eos, qui exercent atque 20
 exigunt, cum duo reges cum maximis copiis propter
 adsint, cum una excursio equitatus perbreve tempore
 totius anni vectigal auferre possit, cum publicani familias
 maximas, quas in saltibus habent, quas in agris, quas
 in portibus atque custodiis, magno periculo se habere 25
 arbitrentur? putatisne vos illis rebus frui posse, nisi
 eos, qui vobis fructui sunt, conservarit non solum, ut
 ante dixi, calamitate, sed etiam calamitatis formidine
 liberatos?

Ac ne illud quidem vobis neglegendum est (quod 30 7
 mihi ego extremum proposueram, cum essem de belli
 genere dicturus), quod ad multorum bona civium Roma-
 norum pertinet; quorum vobis pro vestra sapientia,

Quirites, habenda est ratio diligenter. nam et publicani, homines honestissimi atque ornatissimi, suas rationes et copias in illam provinciam contulerunt, quorum ipsorum per se res et fortunae vobis curae esse debent — etenim, 5 si vectigalia nervos esse rei publicae semper duximus, eum certe ordinem, qui exercet illa, firmamentum ceterorum ordinum recte esse dicemus —; deinde ex ceteris ordinibus homines navi atque industrii partim ipsi in Asia negotiantur, quibus vos absentibus consulere debetis, 10 partim eorum in ea provincia pecunias magnas conlocatas habent. est igitur humanitatis vestrae magnum numerum civium calamitate prohibere, sapientiae videre multorum civium calamitatem a re publica seiunctam esse non posse. etenim illud primum parvi refert, nos 15 publicanis amissis vectigalia postea victoria recuperare; neque enim isdem redimendi facultas erit propter calamitatem neque aliis voluntas propter timorem. deinde, quod nos eadem Asia atque idem iste Mithridates initio belli Asiatici docuit, id quidem certe calamitate docti 20 memoria retinere debemus. nam tum, cum in Asia magnas permulti res amiserunt, scimus Romae solutione impedita fidem concidisse. non enim possunt una in civitate multi rem ac fortunas amittere, ut non pluris secum in eandem trahant calamitatem. a quo periculo 25 prohibete rem publicam. etenim — mihi credite, id quod ipsi videtis — haec fides atque haec ratio pecuniarum, quae Romae, quae in foro versatur, implicata est cum illis pecuniis Asiaticis et cohaeret; ruere illa non possunt, ut haec non eodem labefacta motu concidant. quare 30 videte, num dubitandum vobis sit omni studio ad id bellum incumbere, in quo gloria nominis vestri, salus sociorum, vectigalia maxima, fortunae plurimorum civium coniunctae cum re publica defendantur.

Quoniam de genere belli dixi, nunc de magnitudine 8
pauca dicam. potest enim hoc dici, belli genus esse
ita necessarium, ut sit gerendum, non esse ita magnum,
ut sit pertimescendum. in quo maxime laborandum est,
ne forte ea vobis, quae diligentissime providenda sunt, 5
contemnenda esse videantur. atque ut omnes intelle-
gant me L. Lucullo tantum impertire laudis, quantum
forti viro et sapienti homini et magno imperatori debe-
atur, dico eius adventu maximas Mithridati copias omni-
bus rebus ornatas atque instructas fuisse, urbemque 10
Asiae clarissimam nobisque amicissimam Cyzicenorum
obsessam esse ab ipso rege maxima multitudine et
oppugnatam vehementissime; quam L. Lucullus virtute,
assiduitate, consilio summis obsidionis periculis liberavit;
ab eodem imperatore classem magnam et ornatam, quae 15
ducibus Sertorianis ad Italiam studio [atque odio] in-
flammata raperetur, superatam esse atque depressam;
magnas hostium praeterea copias multis proeliis esse
deletas patefactumque nostris legionibus esse Pontum,
qui antea populo Romano ex omni aditu clausus fuisset; 20
Sinopen atque Amisum, quibus in oppidis erant domi-
cilia regis, omnibus rebus ornatas ac refertas ceterasque
urbes Ponti et Cappadociae permultas uno aditu adventu-
que esse captas; regem spoliatum regno patrio atque
avito ad alios se reges atque ad alias gentes supplicem 25
contulisse; atque haec omnia salvis populi Romani sociis
atque integris vectigalibus esse gesta. satis opinor haec
esse laudi, atque ita, Quirites, ut hoc vos intellegatis,
a nullo istorum, qui huic obtrectant legi atque causae,
L. Lucillum similiter ex hoc loco esse laudatum. 30

Requiretur fortasse nunc, quem ad modum, cum 9
haec ita sint, reliquum possit magnum esse bellum.
Cognoscite, Quirites; non enim hoc sine causa quaeri

videtur. primum ex suo regno sic Mithridates profugit, ut ex eodem Ponto Medea illa quondam profugisse dicitur, quam praedicant in fuga fratris sui membra in eis locis, qua se parens persequeretur, dissipavisse, ut eorum conlectio dispersa maerorque patrius celeritatem persequendi retardaret. sic Mithridates fugiens maximam vim auri atque argenti pulcherrimarumque rerum omnium, quas et a maioribus acceperat et ipse bello superiore ex tota Asia direptas in suum regnum congesserat, in 10 Ponto omnem reliquit. haec dum nostri conligunt omnia diligentius, rex ipse e manibus effugit. ita illum [Aetam] in persequendi studio maeror, hos laetitia retardavit. hunc in illo timore et fuga Tigranes, rex Armenius, excepit diffidentemque rebus suis confirmavit et afflictum 15 erexit perditumque recreavit. cuius in regnum posteaquam Lucullus cum exercitu venit, plures etiam gentes contra imperatorem nostrum concitatae sunt. erat enim metus iniectus eis nationibus, quas numquam populus Romanus neque lacesendas bello neque temptandas 20 putavit; erat etiam alia gravis atque vehemens opinio, quae per animos gentium barbararum pervaserat, fani locupletissimi et religiosissimi diripiendi causa in eas oras nostrum esse exercitum adductum. ita nationes 25 concitabantur. noster autem exercitus tametsi urbem ex Tigrani regno ceperat et proeliis usus erat secundis, tamen nimia longinquitate locorum ac desiderio suorum commovebatur. hic iam plura non dicam; fuit enim illud extremum, ut ex eis locis a militibus nostris reditus 30 magis maturus quam processio longior quaereretur. Mithridates autem et suam manum iam confirmarat eorum opera, qui se ex ipsius regno conlegerant, et magnis adventiciis auxiliis multorum regum et nationum

iuvabatur. nam hoc fere sic fieri solere accepimus, ut regum adflictae fortunae facile multorum opes adiciant ad misericordiam, maximeque eorum, qui aut reges sunt aut vivunt in regno, ut eis nomen regale magnum et sanctum esse videatur. itaque tantum victus efficere 5 potuit, quantum incolumis numquam est ausus optare. nam, cum se in regnum suum recepisset, non fuit eo contentus, quod ei praeter spem acciderat, ut illam, posteaquam pulsus erat, terram umquam attingeret, sed in exercitum nostrum clarum atque victorem impetum fecit. 10 sinite hoc loco, Quirites, sicut poëtae solent, qui res Romanas scribunt, praeterire me nostram calamitatem, quae tanta fuit, ut eam ad aures [L. Luculli] imperatoris non ex proelio nuntius, sed ex sermone rumor adferret. hic in illo ipso malo gravissimaque belli offensione 15 L. Lucullus, qui tamen aliqua ex parte iis incommodis mederi fortasse potuisset, vestro iussu coactus, quod imperii diuturnitati modum statuendum vetere exemplo putavistis, partem militum, qui iam stipendiis confecti erant, dimisit, partem *M'*. Glabrioni tradidit. multa 20 praetereo consulto; sed ea vos coniectura perspicite, quantum illud bellum factum putetis, quod coniungant reges potentissimi, renovent agitatae nationes, suscipiant integrae gentes, novus imperator noster accipiat vetere exercitu pulso. 25

Satis mihi multa verba fecisse videor, quare esset 10 hoc bellum genere ipso necessarium, magnitudine periculosum; restat, ut de imperatore ad id bellum deligendo ac tantis rebus praeficiendo dicendum esse videatur. utinam, Quirites, virorum fortium atque innocentium 30 copiam tantam haberetis, ut haec vobis deliberatio difficilis esset, quemnam potissimum tantis rebus ac tanto bello praeficiendum putaretis! nunc vero cum sit unus

Cn. Pompeius, qui non modo eorum hominum, qui nunc sunt, gloriam, sed etiam antiquitatis memoriam virtute superarit, quae res est, quae cuiusquam animum in hac causa dubium facere possit? ego enim sic existimo, in summo imperatore quattuor has res inesse oportere, scientiam rei militaris, virtutem, auctoritatem, felicitatem.

Quis igitur hoc homine scientior umquam aut fuit aut esse debuit? qui e ludo atque e pueritiae disciplinis bello maximo atque acerrimis hostibus ad patris exercitum atque in militiae disciplinam profectus est, qui extrema pueritia miles in exercitu summi fuit imperatoris, ineunte adulescentia maximi ipse exercitus imperator, qui saepius cum hoste conflixit, quam quisquam cum inimico concertavit, plura bella gessit quam ceteri legerunt, pluris provincias confecit quam alii concupiverunt, cuius adulescentia ad scientiam rei militaris non alienis praeceptis, sed suis imperiis, non offensionibus belli, sed victoriis, non stipendiis, sed triumphis est erudita. quod denique genus esse belli potest, in quo illum non exercuerit fortuna rei publicae? civile, Africanum, Transalpinum, Hispaniense [mixtum ex civitatibus atque ex bellicosissimis nationibus], servile, navale bellum, varia et diversa genera et bellorum et hostium non solum gesta ab hoc uno, sed etiam confecta nullam rem esse declarant in usu positam militari, quae huius viri scientiam fugere possit.

11 Iam vero virtuti Cn. Pompei quae potest oratio par inveniri? quid est, quod quisquam aut illo dignum aut vobis novum aut cuiquam inauditum possit adferre? neque enim illae sunt solae virtutes imperatoriae, quae volgo existimantur, labor in negotiis, fortitudo in periculis, industria in agendo, celeritas in conficiendo, consilium in providendo, quae tanta sunt in hoc uno, quanta

in omnibus reliquis imperatoribus, quos aut vidimus aut
audivimus, non fuerunt. testis est Italia, quam ille ipse
victor L. Sulla huius virtute et subsidio confessus est
liberatam; testis Sicilia, quam multis undique cinctam
periculis non terrore belli, sed consilii celeritate explicavit; 5
testis Africa, quae magnis oppressa hostium copiis eorum
ipsorum sanguine redundavit; testis Gallia, per quam
legionibus nostris iter in Hispaniam Gallorum inter-
necione patefactum est; testis Hispania, quae saepissime
plurimos hostes ab hoc superatos prostratosque con- 10
spexit; testis est iterum et saepius Italia, quae cum
servili bello taetro periculosoque premeretur, ab hoc
auxilium absente expetivit, quod bellum expectatione
eius attenuatum atque imminutum est, adventu subla-
tum ac sepultum; testes nunc vero iam omnes sunt orae 15
atque omnes exterae gentes ac nationes, denique maria
omnia cum universa tum in singulis oris omnes sinus
atque portus. quis enim toto mari locus per hos annos
aut tam firmum habuit praesidium, ut tutus esset, aut
tam fuit abditus, ut lateret? quis navigavit, qui non se 20
aut mortis aut servitutis periculo committeret, cum aut
hieme aut referto praedonum mari navigaret? hoc tantum
bellum, tam turpe, tam vetus, tam late divisum atque
dispersum quis umquam arbitraretur aut ab omnibus
imperatoribus uno anno aut omnibus annis ab uno 25
imperatore confici posse? quam provinciam tenuistis
a praedonibus liberam per hosce annos? quod vectigal
vobis tutum fuit? quem socium defendistis? cui praesidio
classibus vestris fuistis? quam multas existimatis insulas
esse desertas, quam multas aut metu relictas aut a prae- 30
donibus captas urbes esse sociorum? sed quid ego 12
longinqua commemoro? fuit hoc quondam, fuit pro-
prium populi Romani, longe a domo bellare et propug-

naculis imperii sociorum fortunas, non sua tecta defendere. sociis ego nostris mare per hos annos clausum fuisse dicam, cum exercitus vestri numquam a Brundisio nisi hieme summa transmiserint? qui ad vos ab
5 exteris nationibus venirent, captos querar, cum legati populi Romani redempti sint? mercatoribus tutum mare non fuisse dicam, cum duodecim secures in praedonum potestatem pervenerint? Cnidum aut Colophonem aut Samum, nobilissimas urbes, innumerabilesque alias captas
10 esse commemorem, cum vestros portus atque eos portus, quibus vitam ac spiritum ducitis, in praedonum fuisse potestate sciatis? an vero ignoratis portum Caietae celeberrimum ac plenissimum navium inspectante praetore a praedonibus esse direptum? ex Miseno autem
15 eius ipsius liberos, qui cum praedonibus antea bellum gesserat, a praedonibus esse sublato? nam quid ego Ostiense incommodum atque illam labem atque ignominiam rei publicae querar, cum prope inspectantibus vobis classis ea, cui consul populi Romani praepositus
20 esset, a praedonibus capta atque oppressa est? pro di immortales! tantamne unius hominis incredibilis ac divina virtus tam brevi tempore lucem adferre rei publicae potuit, ut vos, qui modo ante ostium Tiberinum classem hostium videbatis, nunc nullam intra Oceani
25 ostium praedonum navem esse audiatis? atque, haec quae celeritate gesta sint, quamquam videtis, tamen a me in dicendo praetereunda non sunt. quis enim umquam aut obeundi negotii aut consequendi quaestus studio tam brevi tempore tot loca adire, tantos cursus conficere potuit,
30 quam celeriter Cn. Pompeio duce tanti belli impetus navigavit? qui nondum tempestivo ad navigandum mari Siciliam adiit, Africam exploravit, inde Sardiniam cum classe venit atque haec tria frumentaria subsidia rei

publicae firmissimis praesidiis classibusque munivit. inde cum se in Italiam recepisset, duabus Hispaniis et Gallia Transalpina praesidiis ac navibus confirmata, missis item in oram Illyrici maris et in Achaiam omnemque Graeciam navibus Italiae duo maria maximis classibus firmissi- 5
 misque praesidiis adornavit. ipse autem ut Brundisio profectus est, undequinquagesimo die totam ad imperium populi Romani Ciliciam adiunxit; omnes, qui ubique praedones fuerunt, partim capti interfectique sunt, partim unius huius se imperio ac potestati dederunt. idem 10
 Cretensibus, cum ad eum usque in Pamphyliam legatos deprecatoresque misissent, spem deditiois non ademit obsidesque imperavit. ita tantum bellum, tam diuturnum, tam longe lateque dispersum, quo bello omnes gentes ac nationes premebantur, Cn. Pompeius extrema hieme 15
 apparavit, ineunte vere suscepit, media aestate confecit.

Est haec divina atque incredibilis virtus imperatoris. **13** quid? ceterae, quas paulo ante commemorare coeperam, quantae atque quam multae sunt! non enim bellandi virtus solum in summo ac perfecto imperatore quaerenda 20
 est, sed multae sunt artes eximiae huius administratae comitesque virtutis. ac primum quanta innocentia debent esse imperatores, quanta deinde in omnibus rebus temperantia, quanta fide, quanta facilitate, quanto ingenio, quanta humanitate! quae breviter qualia sint in Cn. Pom- 25
 peio consideremus. summa enim omnia sunt, Quirites, sed ea magis ex aliorum contentione quam ipsa per sese cognosci atque intellegi possunt. quem enim imperatorem possumus ullo in numero putare, cuius in exercitu centuriatus veneant atque venierint? quid hunc 30
 hominem magnum aut amplum de re publica cogitare, qui pecuniam ex aerario depromptam ad bellum administrandum aut propter cupiditatem provinciae magi-

stratibus diviserit aut propter avaritiam Romae in quaestu reliquerit? vestra admurmuratio facit, Quirites, ut agnoscere videamini, qui haec fecerint; ego autem nomino neminem; quare irasci mihi nemo poterit, nisi qui ante
5 de se voluerit confiteri. itaque propter hanc avaritiam imperatorum quantas calamitates, quocumque ventum sit, nostri exercitus ferant, quis ignorat? itinera quae per hosce annos in Italia per agros atque oppida civium Romanorum nostri imperatores fecerint, recordamini:
10 tum facilius statuetis, quid apud exteris nationes fieri existimetis. utrum plures arbitramini per hosce annos militum vestrorum armis hostium urbes an hibernis sociorum civitates esse deletas? neque enim potest exercitum is continere imperator, qui se ipse non continet,
15 neque severus esse in iudicando, qui alios in se severos esse iudices non volt. hic miramur hunc hominem tantum excellere ceteris, cuius legiones sic in Asiam pervenerint, ut non modo manus tanti exercitus, sed ne vestigium quidem cuiquam pacato nocuisse dicatur? iam vero quem
20 ad modum milites hibernent, cotidie sermones ac litterae perferuntur: non modo ut sumptum faciat in militem, nemini vis adfertur, sed ne cupienti quidem cuiquam permittitur; hiemis enim, non avaritiae perfugium maiores nostri in sociorum atque amicorum tectis esse voluerunt.

14 25 Age vero, ceteris in rebus quae illius sit temperantia, considerate. unde illam tantam celeritatem et tam incredibilem cursum inventum putatis? non enim illum eximia vis remigum aut ars inaudita quaedam gubernandi aut venti aliqui novi tam celeriter in ultimas terras
30 pertulerunt, sed eae res, quae ceteros remorari solent, non retardarunt: non avaritia ab instituto cursu ad praedam aliquam devocavit, non libido ad voluptatem, non amoenitas ad delectationem, non nobilitas urbis ad cog-

nitonem, non denique labor ipse ad quietem; postremo signa et tabulas ceteraque ornamenta Graecorum oppidorum, quae ceteri tollenda esse arbitrantur, ea sibi ille ne visenda quidem existimavit. itaque omnes nunc in eis locis Cn. Pompeium sicut aliquem non ex hac urbe ⁵ missum, sed de caelo delapsum intuentur; nunc denique incipiunt credere fuisse homines Romanos hac quondam continentia, quod iam nationibus exteris incredibile ac falso memoriae proditum videbatur; nunc imperii vestri splendor illis gentibus lucem adferre coepit: nunc intellegunt non sine causa maiores suos tum, cum ea temperantia magistratus habebamus, servire populo Romano quam imperare aliis maluisse.

Iam vero ita faciles aditus ad eum privatorum, ita liberae querimoniae de aliorum iniuriis esse dicuntur, ¹⁵ ut is, qui dignitate principibus excellit, facilitate infimis par esse videatur. iam quantum consilio, quantum dicendi gravitate et copia valeat, (in quo ipso inest quaedam dignitas imperatoria,) vos, Quirites, hoc ipso ex loco saepe cognovistis. fidem vero eius quantam inter socios ²⁰ existimari putatis, quam hostes omnes omnium generum sanctissimam iudicarint? humanitate iam tanta est, ut difficile dictu sit, utrum hostes magis virtutem eius pugnantes timuerint an mansuetudinem victi dilexerint. et quisquam dubitabit, quin huic hoc tantum bellum ²⁵ transmittendum sit, qui ad omnia nostrae memoriae bella conficienda divino quodam consilio natus esse videatur?

Et quoniam auctoritas quoque in bellis administrandis ¹⁵ multum atque in imperio militari valet, certe nemini dubium est, quin ea re idem ille imperator plurimum ³⁰ possit. vehementer autem pertinere ad bella administranda, quid hostes, quid socii de imperatoribus nostris existiment, quis ignorat, cum sciamus homines, in tantis

rebus ut aut contemnant aut metuant aut oderint aut ament, opinione non minus et fama quam aliqua ratione certa commoveri? quod igitur nomen umquam in orbe terrarum clarius fuit, cuius res gestae pares? de quo
5 homine vos, id quod maxime facit auctoritatem, tanta et tam praeclara iudicia fecistis? an vero ullam usquam esse oram tam desertam putatis, quo non illius diei fama pervaserit, cum universus populus Romanus referto foro completisque omnibus templis, ex quibus hic locus con-
10 spici potest, unum sibi ad commune omnium gentium bellum Cn. Pompeium imperatorem depoposcit? itaque, ut plura non dicam neque aliorum exemplis confirmem, quantum [huius] auctoritas valeat in bello, ab eodem Cn. Pompeio omnium rerum egregiarum exempla suman-
15 tur; qui quo die a vobis maritimo bello praepositus est imperator, tanta repente vilitas annonae ex summa inopia et caritate rei frumentariae consecuta est unius hominis spe ac nomine, quantam vix ex summa ubertate agrorum diuturna pax efficere potuisset. iam accepta in Ponto
20 calamitate ex eo proelio, de quo vos paulo ante vos invitus admonui, cum socii pertimuisent, hostium opes animique crevissent, satis firmum praesidium provincia non haberet, amisissetis Asiam, Quirites, nisi ad ipsum discrimen eius temporis divinitus Cn. Pompeium
25 ad eas regiones fortuna populi Romani attulisset. huius adventus et Mithridatem insolita inflatum victoria continuit et Tigranen magnis copiis minitantem Asiae retardavit. et quisquam dubitabit, quid virtute perfecturus sit, qui tantum auctoritate perfecit, aut quam facile
30 imperio atque exercitu socios et vectigalia conservaturus
16 sit, qui ipso nomine ac rumore defenderit? age vero illa res quantam declarat eiusdem hominis apud hostis populi Romani auctoritatem, quod ex locis tam longin-

quis tamque diversis tam brevi tempore omnes huic se uni dederunt, quod <a> communi Cretensium legati, cum in eorum insula noster imperator exercitusque esset, ad Cn. Pompeium in ultimas prope terras venerunt eique se omnis Cretensium civitates dedere velle dixerunt! 5 quid? idem iste Mithridates nonne ad eundem Cn. Pompeium legatum usque in Hispaniam misit? eum, quem Pompeius legatum semper iudicavit, ei, quibus erat permolestum ad eum potissimum esse missum, speculatorem quam legatum iudicari maluerunt. potestis igitur iam 10 constituere, Quirites, hanc auctoritatem multis postea rebus gestis magnisque vestris iudiciis amplificatam quantum apud illos reges, quantum apud exterarum nationum valituram esse existimetis.

Reliquum est, ut de felicitate, quam praestare de se 15 ipso nemo potest, meminisse et commemorare de altero possumus, sicut aequum est homines de potestate deorum, timide et pauca dicamus. ego enim sic existimo, Maximo, Marcello, Scipioni, Mario et ceteris magnis imperatoribus non solum propter virtutem, sed etiam propter fortunam 20 saepius imperia mandata atque exercitus esse commissos. fuit enim profecto quibusdam summis viris quaedam ad amplitudinem et ad gloriam et ad res magnas bene gerendas divinitus adiuncta fortuna. de huius autem hominis felicitate, de quo nunc agimus, hac utar mode- 25 ratione dicendi, non ut in illius potestate fortunam positam esse dicam, sed ut praeterita meminisse, reliqua sperare videamur, ne aut invisae dis immortalibus oratio nostra aut ingrata esse videatur. itaque non sum praedicaturus, quantas ille res domi militiae, terra marique 30 quantaque felicitate gesserit, ut eius semper voluntatibus non modo cives adsenserint, socii obtemperarint, hostes oboedierint, sed etiam venti tempestatesque obsecun-

darint; hoc brevissime dicam, neminem umquam tam impudentem fuisse, qui ab dis immortalibus tot et tantas res tacitus auderet optare, quot et quantas di immortales ad Cn. Pompeium detulerunt. quod ut illi proprium ac perpetuum sit, Quirites, cum communis salutis atque imperii, tum ipsius hominis causa, sicuti facitis, velle et optare debetis.

Quare cum et bellum sit ita necessarium, ut negligi non possit, ita magnum, ut accuratissime sit administrandum, et cum ei imperatorem praeficere possitis, in quo sit eximia belli scientia, singularis virtus, clarissima auctoritas, egregia fortuna, dubitatis, Quirites, quin hoc tantum boni, quod vobis ab dis immortalibus oblatum et datum est, in rem publicam conservandam atque amplificationem conferatis? quodsi Romae Cn. Pompeius privatus esset hoc tempore, tamen ad tantum bellum is erat deligendus atque mittendus; nunc, cum ad ceteras summas utilitates haec quoque oportunitas adiungatur, ut in iis ipsis locis adsit, ut habeat exercitum, ut ab iis, qui habent, accipere statim possit, quid expectamus? aut cur non ducibus dis immortalibus eidem, cui cetera summa cum salute rei publicae commissa sunt, hoc quoque bellum regium committamus?

At enim vir clarissimus, amantissimus rei publicae, vestris beneficiis amplissimis adfectus, Q. Catulus, itemque vir summis ornamentis honoris, fortunae, virtutis, ingenii praeditus, Q. Hortensius, ab hac ratione dissentiunt. quorum ego auctoritatem apud vos multis locis plurimum valuisse et valere oportere confiteor; sed in hac causa, tametsi cognostis auctoritates contrarias virorum fortissimorum et clarissimorum, tamen omissis auctoritatibus ipsa re ac ratione exquirere possumus veritatem, atque hoc facilius, quod ea omnia, quae a me adhuc dicta

sunt, idem isti vera esse concedunt, et necessarium bellum esse et magnum et in uno Cn. Pompeio summa esse omnia.

Quid igitur ait Hortensius? si uni omnia tribuenda sint dignissimum esse Pompeium, sed ad unum tamen 5 omnia deferri non oportere. obsolevit iam ista oratio re multo magis quam verbis refutata. nam tu idem, Q. Hortensi, multa pro tua summa copia ac singulari facultate dicendi et in senatu contra virum fortem, A. Gabinium, graviter ornateque dixisti, cum is de uno 10 imperatore contra praedones constituendo legem promulgasset, et ex hoc ipso loco permulta item contra eam legem verba fecisti. quid? tum, per deos immortalis! si plus apud populum Romanum auctoritas tua quam ipsius populi Romani salus et vera causa valuisset, hodie 15 hanc gloriam atque hoc orbis terrae imperium teneremus? an tibi tum imperium hoc esse videbatur, cum populi Romani legati, quaestores praetoresque capiebantur, cum ex omnibus provinciis commeatu et privato et publico prohibebamur, cum ita clausa nobis erant maria omnia, 20 ut neque privatam rem transmarinam neque publicam iam obire possemus?

Quae civitas umquam fuit antea — non dico Athe- 18 niensium, quae satis late quondam mare tenuisse dicitur, non Carthaginiensium, qui permultum classe ac 25 maritimis rebus valuerunt, non Rhodiorum, quorum ad nostram memoriam disciplina navalis et gloria remansit, — quae civitas, inquam, antea tam tenuis, quae tam parva insula fuit, quae non portus suos et agros et aliquam partem regionis atque orae maritimae per se 30 ipsa defenderet? at hercule aliquot annos continuos ante legem Gabiniam ille populus Romanus, cuius usque ad nostram memoriam nomen invictum in navalibus

pugnis permanserit, magna ac multo maxima parte non modo utilitatis, sed dignitatis atque imperii caruit; nos, quorum maiores Antiochum regem classe Persemque superarunt omnibusque navalibus pugnis Carthaginien-
sis, homines in maritimis rebus exercitatissimos paratissimosque, vicerunt, ii nullo in loco iam praedonibus pares esse poteramus; nos, qui antea non modo Italiam tutam habebamus, sed omnes socios in ultimis oris auctoritate nostri imperii salvos praestare poteramus, (tum,
10 cum insula Delos tam procul a nobis in Aegaeo mari posita, quo omnes undique cum mercibus atque oneribus commeabant, referta divitiis, parva, sine muro nihil timebat,) idem non modo provinciis atque oris Italiae maritimis ac portibus nostris, sed etiam Appia iam via
15 carebamus; et iis temporibus non pudebat magistratus populi Romani in hunc ipsum locum descendere, cum eum nobis maiores nostri exuviis nauticis et classium
19 spoliis ornatum reliquissent! bono te animo tum, Q. Hortensi, populus Romanus et ceteros, qui erant in
20 eadem sententia, dicere existimavit ea, quae sentiebatis; sed tamen in salute communi idem populus Romanus dolori suo maluit quam auctoritati vestrae optemperare. itaque una lex, unus vir, unus annus non modo nos illa miseria ac turpitudine liberavit, sed etiam effecit, ut
25 aliquando vere videremur omnibus gentibus ac nationibus terra marique imperare. quo mihi etiam indignius videtur obtreptatum esse adhuc, (Gabinio dicam ane Pompeio an utrique, id quod est verius,) ne legaretur A. Gabinius Cn. Pompeio expetenti ac postulanti. utrum
30 ille, qui postulat ad tantum bellum legatum, quem velit, idoneus non est, qui impetret, cum ceteri ad expilandos socios diripiendasque provincias, quos voluerunt, legatos eduxerint, an ipse, cuius lege salus ac dignitas po-

pulo Romano atque omnibus gentibus constituta est, expers esse debet victoriae atque gloriae eius imperatoris atque eius exercitus, qui consilio ipsius ac periculo est constitutus? an C. Falcidius, Q. Metellus, Q. Caelius Latiniensis, Cn. Lentulus — quos omnis 5 honoris causa nomino — cum tribuni plebi fuissent, anno proximo legati esse potuerunt: in uno Gabinio sunt tam diligentes, qui in hoc bello, quod lege Gabinia geritur, in hoc imperatore atque exercitu, quem per vos ipse constituit, etiam praecipuo iure esse deberet? de 10 quo legando consules spero ad senatum relatueros. qui si dubitabunt aut gravabuntur, ego me profiteor relaturum; neque me impediēt cuiusquam inimicum edictum, quo minus vobis fretus vestrum ius beneficiumque defendam, neque praeter intercessionem quicquam audiam, de qua, 15 ut ego arbitror, isti ipsi, qui minantur, etiam atque etiam, quid liceat, considerabunt. mea quidem sententia, Quirites, unus A. Gabinius belli maritimi rerumque gestarum Cn. Pompeio socius ascribitur, propterea quod alter uni illud bellum suscipiendum vestris suffragiis detulit, alter delatum 20 susceptumque confecit.

Reliquum est, ut de Q. Catuli auctoritate et senten- 20 tia dicendum esse videatur. qui cum ex vobis quaereret, si in uno Cn. Pompeio omnia poneretis, si quid eo factum esset, in quo spem essetis habituri, cepit 25 magnum suae virtutis fructum ac dignitatis, cum omnes una prope voce in eo ipso vos spem habituros esse dixistis. etenim talis est vir, ut nulla res tanta sit ac tam difficilis, quam ille non et consilio regere et integritate tueri et virtute conficere possit. sed in hoc ipso 30 ab eo vehementissime dissentio, quod, quo minus certa est hominum ac minus diuturna vita, hoc magis res publica, dum per deos immortales licet, frui debet summi

viri vita atque virtute. at enim ne quid novi fiat contra exempla atque instituta maiorum. non dicam hoc loco maiores nostros semper in pace consuetudini, in bello utilitati paruisse, semper ad novos casus temporum
5 novorum consiliorum rationes accommodasse, non dicam duo bella maxima, Punicum atque Hispaniense, ab uno imperatore esse confecta duasque urbes potentissimas, quae huic imperio maxime minitabantur, Karthaginem atque Numantiam, ab eodem Scipione esse deletas, non
10 commemorabo nuper ita vobis patribusque vestris esse visum, ut in uno C. Mario spes imperii poneretur, ut idem cum Iugurtha, idem cum Cimbris, idem cum Teutonis bellum administraret; in ipso Cn. Pompeio, in quo novi constitui nihil vult Q. Catulus, quam multa
15 sint nova summa Q. Catuli voluntate constituta, recordamini.

21 Quid tam novum quam adolescentulum privatum exercitum difficili rei publicae tempore conficere? confecit. huic praeesse? praefuit. rem optime ductu suo
20 gerere? gessit. quid tam praeter consuetudinem quam homini peradulescenti, cuius aetas a senatorio gradu longe abesset, imperium atque exercitum dari, Siciliam permitti atque Africam bellumque in ea provincia administrandum? fuit in his provinciis singulari innocentia,
25 gravitate, virtute, bellum in Africa maximum confecit, victorem exercitum deportavit. quid vero tam inauditum quam equitem Romanum triumphare? at eam quoque rem populus Romanus non modo vidit, sed omnium etiam studio visendam et concelebrandam putavit. quid
30 tam inusitatum, quam *ut*, cum duo consules clarissimi fortissimique essent, eques Romanus ad bellum maximum formidolosissimumque pro consule mitteretur? missus est. quo quidem tempore cum esset non nemo in senatu,

qui diceret non oportere mitti hominem privatum pro consule, L. Philippus dixisse dicitur non se illum sua sententia pro consule, sed pro consulibus mittere. tanta in eo rei publicae bene gerendae spes constituebatur, ut duorum consulum munus unius adolescentis virtuti 5 committeretur. quid tam singulare, quam ut ex senatus consulto legibus solutus consul ante fieret, quam ullum alium magistratum per leges capere licuisset? quid tam incredibile, quam ut iterum eques Romanus ex senatus consulto triumpharet? quae in omnibus hominibus nova 10 post hominum memoriam constituta sunt, ea tam multa non sunt quam haec, quae in hoc uno homine vidimus. atque haec tot exempla tanta ac tam nova profecta sunt in eundem hominem a Q. Catuli atque a ceterorum eiusdem dignitatis amplissimorum hominum auctoritate. 15

Quare videant, ne sit periniquum et non ferendum 22 illorum auctoritatem de Cn. Pompei dignitate a vobis comprobatae semper esse, vestrum ab illis de eodem homine iudicium populi Romani auctoritatem improbari, praesertim cum iam suo iure populus Romanus in hoc homine suam auctoritatem vel contra omnis, qui dissentiunt, possit defendere, propterea quod isdem istis reclamantibus vos illum unum ex omnibus delegistis, quem bello praedonum praeponeretis. hoc si vos temere fecistis et rei publicae parum consulistis, 25 recte isti studia vestra suis consiliis regere conantur; sin autem vos plus tum in re publica vidistis, vos istis repugnantibus per vosmet ipsos dignitatem huic imperio, salutem orbi terrarum attulistis, Quirites, aliquando isti principes et sibi et ceteris populi Romani universi aucto- 30 ritati parendum esse fateantur.

Atque in hoc bello Asiatico et regio non solum militaris illa virtus, quae est in Cn. Pompeio singularis,

sed aliae quoque animi virtutes magnae et multae requiruntur. difficile est in Asia, Cilicia, Syria regnisque interiorum nationum ita versari nostrum imperatorem, ut nihil aliud nisi de hoste ac de laude cogitet. deinde, 5 etiamsi qui sunt pudore ac temperantia moderatiores, tamen eos esse tales propter multitudinem cupidorum hominum nemo arbitratur. difficile est dictu, Quirites, quanto in odio simus apud exterarum nationes propter eorum, quos ad eas per hos annos cum imperio misimus, 10 libidines et iniurias. quod enim fanum putatis in illis terris nostris magistratibus religiosum, quam civitatem sanctam, quam domum satis clausam ac munitam fuisse? urbes iam locupletes et copiosae requiruntur, quibus causa belli propter diripiendi cupiditatem inferatur. 15 libenter haec coram cum Q. Catulo et Q. Hortensio, summis et clarissimis viris, disputarem; noverunt enim sociorum vulnera, vident eorum calamitates, querimonias audiunt. pro sociis vos contra hostes exercitum mittere putatis an hostium simulatione contra socios atque amicos? 20 quae civitas est in Asia, quae non modo imperatoris aut legati, sed unius tribuni militum animos ac spiritus capere possit? 23 quare, etiamsi quem habetis, qui colatis signis exercitus regios superare posse videatur, tamen, nisi erit idem, qui se a pecuniis sociorum, qui 25 ab eorum coniugibus ac liberis, qui ab ornamentis fanorum atque oppidorum, qui ab auro gazaque regia manus, oculos, animum cohibere possit, non erit idoneus, qui ad bellum Asiaticum regiumque mittatur. ecquam putatis civitatem pacatam fuisse, quae locuples sit, ecquam esse 30 locupletem, quae istis pacata esse videatur? ora maritima, Quirites, Cn. Pompeium non solum propter rei militaris gloriam, sed etiam propter animi continentiam requisivit. videbat enim imperatores locupletari quotannis pecunia

publica praeter paucos, neque eos quicquam aliud adsequi classium nomine, nisi ut detrimentis accipiendis maiore affici turpitudine videremur. nunc qua cupiditate homines in provincias et quibus iacturis, quibus condicionibus profiscantur, ignorant videlicet isti, qui ad unum deferenda 5 omnia esse non arbitrantur. quasi vero Cn. Pompeium non cum suis virtutibus, tum etiam alienis vitiis magnum esse videamus. quare nolite dubitare, quin huic uni credatis omnia, qui inter tot annos unus inventus sit, quem socii in urbis suas cum exercitu venisse gaudeant. 10

Quodsi auctoritatibus hanc causam, Quirites, confirmandam putatis, est vobis auctor vir bellorum omnium maximarumque rerum peritissimus, P. Servilius, cuius tantae res gestae terra marique exstiterunt, ut, cum de bello deliberetis, auctor vobis gravior esse nemo debeat; 15 est C. Curio, summis vestris beneficiis maximisque rebus gestis, summo ingenio et prudentia praeditus; est Cn. Lentulus, in quo omnes pro amplissimis vestris honoribus summum consilium, summam gravitatem esse cognostis; est C. Cassius, integritate, virtute, constantia singulari. 20 quare videte, ut horum auctoritatibus illorum orationi, qui dissentiunt, respondere posse videamur.

Quae cum ita sint, C. Manili, primum istam tuam 24 et legem et voluntatem et sententiam laudo vehementissimeque comprobo; deinde te hortor, ut auctore populo Romano maneas in sententia neve cuiusquam vim aut minas pertimescas. primum in te satis esse animi perseverantiaeque arbitror; deinde, cum tantam multitudinem tanto cum studio adesse videamus, quantam iterum nunc in eodem homine praeficiendo videmus, 30 quid est, quod aut de re aut de perficiendi facultate dubitemus? ego autem, quicquid est in me studii, consilii, laboris, ingenii, quicquid hoc beneficio populi Romani


atque hac potestate praetoria, quicquid auctoritate, fide,
constantia possum, id omne ad hanc rem conficiendam
tibi et populo Romano polliceor ac defero testorque
omnis deos, et eos maxime, qui huic loco temploque
5 praesident, qui omnium mentis eorum, qui ad rem
publicam adeunt, maxime perspiciunt, me hoc neque
rogatu facere cuiusquam, neque quo Cn. Pompei gratiam
mihi per hanc causam conciliari putem, neque quo mihi
ex cuiusquam amplitudine aut praesidia periculis aut
10 adiumenta honoribus quaeram, propterea quod pericula
facile, ut hominem praestare oportet, innocentia tecti
repellemus, honorem autem neque ab uno neque ex
hoc loco, sed eadem illa nostra laboriosissima ratione
vitae, si vestra voluntas feret, consequemur. quam ob
15 rem quicquid in hac causa mihi susceptum est, Quirites,
id ego omne me rei publicae causa suscepisse confirmo
tantumque abest, ut aliquam mihi bonam gratiam quae-
sisse videar, ut multas me etiam simultates partim obscuras,
partim apertas intellegam mihi non necessarias, vobis
20 non inutilis suscepisse. sed ego me hoc honore praed-
ditum, tantis vestris beneficiis affectum statui, Quirites,
vestram voluntatem et rei publicae dignitatem et salutem
provinciarum atque sociorum meis omnibus commodis
et rationibus praeferre oportere.

INSTYTUT

BADAŃ LITERACKICH PAN
BIBLIOTEKA

00-330 Warszawa, ul. Nowy Świat 30

Tel. 26-68-63



F

23.392